

Tentamen medicum inaugurale, de lue venerea; : quod, annuente summo numine, ex auctoritate dignissimi Vice-Cancellarii Archibaldi Davidson, S. S. T. P. P. et Collegii Glasg. Praefecti; nec nom, amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto; pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis, in comitiis Universitatis Glasguensis , / eruditorum examini subijcit Jacobus Hamilton, Hibernus, Chirurgis, Soc. Reg. Phys. Ed. Soc. Soc. Amer. Phy. Ol. Soc. Necron Societ. Hib. Phys. Ol. Socius.

Contributors

Hamilton, James, 1767-1839.
Davidson, Archibald.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasgae : Excudebant Chapman et Lang, 1801.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fn82cpd9>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12
TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
LUE VENEREA;
QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII
ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.
ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;


NEC NON,
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET
LEGITIME CONSEQUENDIS,
V COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,


ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JACOBUS HAMILTON,

HIBERNUS,
CHIRURGUS,

SOC. REG. PHYS. ED. SOC.
SOC. AMER. PHY. OL. SOC. NECNON
SOCIET. HIB. PHYS. OL. SOCIUS.

AD DIEM XXX. JULII, HORA LOCOQUE SOLITIS.


GLASGUÆ,
EXCUDEBANT CHAPMAN ET LANG.


1801.

THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE

THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE

OF THE

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE

OF THE

OF THE NEW YORK MEDICAL JOURNAL

OF THE

OF THE

HAWTREIO WHITE, ARMIGERO,

IN COMITATU WEXFORDII

PRÆFECTUI;

PATRIÆ AMICO;

PROPTER INSIGNEM VIRTUTEM,

QUAM,

IN INSURRECTIONE,

NUPER IN HIBERNIA CONCITATA,

COMPESCENDA,

EVICIT:

ET PROPTER AMICITIAM,

QUA

EUM DIGNATUS EST;

HOC OPUSCULUM,

ANIMI QUAM GRATISSIMI,

EXIGUUM TESTIMONIUM

D. D. D. QUE

AUCTOR.

HAWTHORNE WHITE, ARMINGHORE,

IN CONSTANT RETURN

PRACTICE

PATRICK AMICO

THEIR INSIGNIA

OF

IN HERALD

NOTES IN HERALD

OF THE

OF

AT PORTER

OF

THE INSIGNIA


HOC OPUSCULUM

OF THE

THEIR INSIGNIA

OF

AUCTOR



All day he roar'd, and all the tedious night
Bedew'd his couch with tears;——
——— Such ills attend
Obscene and bought embraces.——

ARMSTRONG.

DE
LUE VENEREA.

MORBUS quem pro dissertatione inaugurali selegi sic a Culleno illustrissimo definitur. “ Morbus contagiosus, post concubitum impurum et genitalium morbum, ulcera tonsillarum; cutis, praesertim ad marginem capillitii, papulae corymbosae, in crustas et in ulcera crustacea abeuntes; dolores ostocopi; exostoses.”

Et si autem definitio jam memorata, qui-

busdam casibus fatis apte applicari queat, non omnibus aequè accommodata est. Hic morbus tam varias induit formas, et symptomata ejus, nunc ad locum circumscripta, nunc per totum systema diffusa, tantum variantur, ut definitio quae omnibus bene congruat casibus, admodum difficilis est; quam autem protulit Cullenus merito inter optimas recensetur.

HISTORIA.

Multis persuasum est Columbum salutis anno 1493 hunc morbum primum in Europam advexisse; et fane haud ambigue constat, sequelos ejus ad Hispaniolam advectos, ibi morbo de quo agitur, infici. Talem autem morbum Europam ante hoc tempus infestasse, ex multis fatis probabile

est*; hoc autem tenebris adhuc obvolutum, in opusculo hujusmodi fufius agitare omnino ineptum erat. Symptomata igitur quæ poffimus cura proxime veniunt enumeranda.

Utpote hic morbus ex concubitu morbo laborante, ut plurimum fuboritur, partes viro objectas primum plerumque depafcitur. In homine penis, in foemineis labia pudendi, vagina, et clitoris primum vires morbi experiuntur: hoc autem non femper obtinet, bubo enim vel inguinis tumor ex viro venereo abforpto aliquando, etfi raro admodum primum fefe oftendit. Lues venerea curfum fequentem plerumque tenet.

* Vide Fowler's Antiquity and Origin of the Venereal Disease. Chambers' Dictionary—Article—Lues Venerea.

Quatuor vel quinque diebus, post aeger contagio objectus fuerit, elapsis, titillatio molesta vel pruritus in quadam penis parte, plerumque circa glandem vel praeputium sentitur, et pars inspecta leviter inflammata apparet. His aliquamdiu perstantibus, quantitas feri sub cuticula effunditur, quae rupta in ulcus mali moris, marginibus duris, scabris stipatum, pus tenue acre continuo effundens, abiit.

Et si hoc intra tempus jam dictum postquam aeger contagio objectus fuerit, plerumque accidit, sunt tamen in quibus signa morbi ad tempus solito longius delitescunt, et hebdomadis vel etiam mensibus elapsis, aegro tale nequidquam timenti infeliciter prorumpunt. Haec ulcuscula quae ex viro venereo penem obsident, Chancres no-

minantur; modo plura, modo pauciora, secundum quantitatem veneni admotam propullulant, glandem penis plerumque tentant vel praeputium vel fraenum, aliquando sed raro radicem penis infestant, rariora adhuc sunt exempla in quibus abdomen* afficitur.

In foeminis labia pudendi, clitoris, nymphae, vel vaginae ostium his ulcusculis plerumque deturpantur; in his autem ex superficie ampliori veneno objecta, sede plus variant. Si in hoc stadio morbo perite occurratur, medicinae plerumque cedit, et forsitan nullus alius existit morbus, in quibus remedia tempestive adhibita plus valent, certioremve licet promittere curationem.

* Vide Bell on the Venereal, vol. 2.

Sin autem hoc in initio negligatur, ulcera cito in deteriora ruunt, altius agunt radices, et partes vicinas late, depascuntur. Tunc plerumque ex viro absorpto glandula unius vel utriusque inguinis intumescere incipit, et si res attente scrutetur, lymphaticum super dorsum penis ad glandulam tumefactam repens, inflammatum, durusculam et tactu dolens in conspectum venit.

Intumescencia gradatim augefcit et dolet et si progressui non obstat in tribus vel quatuor hebdomadis magnitudine multum adauctus, ad fastigium cinereus evadit, mollescit et fluctuat. Dum ad maturationem properat, bubo venerea, saepe leviter febricitat aegrotans, et suppuratione superveniente, horrores leves quidem progrediuntur. Quando ars vel natura exitum materiei

molitur bubo aliis abscessibus haud abfimilis est; si autem haud caute tractata fuerit, pus tenue, mali moris evadit, vicina excorians et hiatus quaquaverfum ampliatur. Tempus quod occupat tumor hujusmodi ex initio ad maturationem varium admodum est; quippe ex aegri constitutione, corporis habitu vel aliorum morborum complicatione multum pendet. Quando bubo primum apparet, nullo ulcusculo praegresso, inter hanc et alios glandularum inguinis tumores probe dignoscere, haud leve negotium; sed postea de hoc verba faciemus, sat fuerit hic notasse hoc perrarum accidere.

Saepius autem fit ut ex ulceribus totum systema afficitur nullo bubone praegressa, quod ex ulceribus in faucibus, naribus, &c. plenius innotescit. Morbus nunc, si cura-

tio debita posthabita fuerit in aliis partibus prorumpit; fauces aliquantum dolent, et praesertim dum aeger aliquid devorat. In quibusdam dolor parum molestus est, dum in aliis haud parum molestiae aegro faceffit, quod ex gradu inflammationis pendet. Tonsilla inspecta plerumque ulcerata apparet, quae crusta lardacea * obtegitur; aliquando uvulam adurit ulcus; aliquando tam alte in faucibus infedit ut oculis conspici nequeat. Plerumque rubor erisipilatosus ulcus circumdat, quod saepe diu in eodem statu manet; in aliis exemplis late serpit vicina depascens; aliquando usque ad tubum eustachianum extendit inflammatio furditatem progenerans, et si latera ejus adherebant furditas re-

* Swediaur.

maneant, etsi morbus primarius remediis
cesserit.

Omniбус fere conceditur hunc morbum
proxime post penem vel inguen fauces ple-
rumque adoriri, sed ratio hujus alta caligine
obvoluta adhuc latet. Hac autem utcun-
que difficilis opinioni domini Bell accedere
non possum, quae ponit, “ The diluted
state of the matter not exciting that degree
of irritation necessary to its absorption, from
the glands of the groin, or if absorbed, its
being rendered so mild as not to produce
obstruction in any of the glands to which
it is applied.”

Ratio enim tumoris inguinis facilius
reddi potest ex irritatione viri utcunque di-
luti quam productio ulceris in faucibus;

funt quoque et exempla ubi ulcus faucium supervenit ulcusculis penis, nulla bubone praegressa. In hoc statu igitur virus absorptum nequaquam dilui potuit in glandulis inguinis, nihilominus nulla intumescencia glandularum abdominis ciebatur. Sunt certae partes quaedam corporis quibus lues venerea prae aliis infesta est, quare autem hoc fieret nos omnino latet. Proxime post fauces nares hoc morbo labefactantur. Aeger de obstructione in uno alterove nare conqueritur et dolor pruriens sentitur: membrana narium inspecta leviter inflammata apparet, et ulcus parvum foedum aliquando in una parte narium conspici queat, alias autem superius quam oculis subjicitur in naribus infidet et haud raro ossa spongiosa tenet. Pus parva quantitate effundit, et si in ossibus inheret, hoc tenue et sanie com-

mixtum evadit, et portiones offium carie erosae e naribus expelluntur, dum sanies foetida qualis his offibus accidit continuo effunditur.

Ductus lacrymalis hoc modo inflammatione correptus obstruitur et lacrymae exinde per genas labuntur. Morbo progrediente, offibus carie exesis, nares turpissimae visu! hiatum horrendum relinquentes, inhoneste collabuntur. Nunc circa os saevit lues inveterata nec ulli parcit parti, sed palatum primum plerumque adoritur; color lividus circa hanc partem percipitur, qui brevi in ulcus definit. Offa solito sed cursu * citatiore cariosa evadunt, et lingua propter

* Omnia ossa tenuiora, quippe cancellis destituta, citius cariosa evadunt.

vicinitatem mali fit particeps et ulceribus obfidetur.

Corporis superficies nunc morbo tentatur; pruritus circa partes corporis superiores, puta cervicem, brachia vel pectus plerumque primum percipitur; pars pruriens attentius persecta, maculis coloris cupri super corporis superficiem elevatis deturpari videtur. Hae aliquando sponte evanescunt, iterum forsan ad easdem partes rediturae, sed saepius humeros, femora, manus vel pedes obfidet et pruritu molesto potiusquam dolore aegrum anxium tenent, et pulvis squamosus * ex iis decedit. Ubi sponte decedunt cutis parum injuriae accipit; sed auctis viribus iterum plerumque

* Anglice, Bran-like.

redeunt; cutis tunc magis turgēt, inflammatur, et crusta obducitur, sub qua pus formatur quod per latera scabiei exitum sibi molitur: exuvie squamosa tandem deposita, ulcus venereum, scabrum, duris marginibus oblitum saepe foedissimum in conspectum venit. In hoc morbi stadio pustulae numerosae in corporis superficie apparent, quae aliquando plena vel pauciora in unum confluentes, ulcera foeda, iis quae ex maculis oriuntur haud absimilia, progignunt. Haec ulcera aliquando formantur, nullis maculis neque pustulis praegredientibus; hoc autem perrarum est; quando accidit discoloratio cutis levis anteit, quae brevi in ulcus foedum late serpens abiit. Haec ulcera ex iis quae formantur ante lues corporis systema pervaserit multum discrepant; posteriora enim magis albescunt, dum pri-

ora quae corporis superficiem occupant, sordidum et lividum exhibent colorem, et materiem foetidum plerumque viscidum, nunc autem ita tenuem et acrem ut partes vicinas excoriat, effundunt. Haec saepe tam sordide squalent ut detergentia efficacissima parum valeant, et sola salutis spes in mercurio strenue adhibito, posita est.

Et si virus quae corporis superficiem ulceribus venereis inficit cutem et membranam cellulofam plerumque invadit, partes aliae molles non ex eo immunes evadunt; et in statu provectiore nullis fere parcit partibus, et tendines, fascias musculorum, periosteum, &c. corripit.

Si ad remedia idonea etiam in hoc morbi statu decurratur plerumque cedit Lues;

Si autem haec neglegantur vel minus perite adhibeantur, tumores duri et rotundi, nodi vulgo nuncupati, ossa praesertim quae musculis parcius obteguntur, obsident: os frontis, pars media tibiae anterieus, et ossa cubiti et manus saepius corripuntur. Dolor levis in parte affecta plerumque sentitur, quae examini subiecta tumorem plerumque continet, et dolor pro magnitudine intenditur; tumor molem glandis maioris aemulans tandem rumpitur, et os carie vitiatum invenitur: dolor nodi in hoc statu ante rupturam acrius saevit ex periostei distensione; partis autem ruptae dolor mitigatur. Tuberculae circa anus et partes generationis haud raro in provectiore morbi stadio prorumpunt; colore sunt subfusci, ad apicem angulari et veruncis quae manus de-

turpant vel penem ex gonorrhœa obfidet
multo majores.

Cum ad extremum fere perventum est
omnes corporis humores vitiantur; aeger
foetidum exhalat odorem et gravissimis cu-
mulatus malis mortem enixe exoptat, alia
accedunt symptomata pessimum quodque
indicantia; capilli squamulis ad radicem ob-
fessi decidunt, etsi aeger praeter spem con-
valescat crines nunquam recuperat: caecitas
ex vitio nervi optici lue venerea invetera-
tae aliquando supervenit; haec nunc subito
invadit nunc tarde obrepit. Surditas su-
pervenit quando affectio venerea faucium
inflammationem tubo eustachiano impertit;
quando latera hujus conglutinantur surditas
permanens est, hac autem saepius ad tem-
pus solum perstat, tunicis majorem crassitu-

dinem solummodo adeptis. Si quod aliquando accidit ossa auris carie corrupta fuerint et materies mali moris ejicitur, ossa tandem expelluntur et surditas per vitam duratura obtinet. Sunt et alia symptomata medicis notata; materies glutinosa ex oculis continuo exudit palpebras saepe conglutinans et lacrymae per genas gliscunt. Febris hectica tandem cum jam vires morbo succubuerunt, mortem anxie speratam jam adesse denunciando, supervenit, et macie, squalore et ulceribus horridus aeger lumen ingratum haud invite deserit.

DIAGNOSIS.

Quoniam nullum fere existit signum lue venereae ita proprium quin cum aliis morbis confundi queat, et revera confundere-

tur; proximum est discrimen quod inter hos intercedit quantum fieri potest notasse.

Chancre vel ulcus venereum quod organa generationis infestat aliquando cum aliis harum partium ulceribus confundi periclitatur; si autem ad historiam morbi, ad connectionem aegri cum iis morbo laborantibus et duros margines angulatos, et albidam irregularem basim quem habet ulcus venereum animum advertamus, haud difficile, est discrimen inter haec stabilire: Praeterea ulcus venereum aliis remediis parum auscultans, mercurio adhibito, cito in melius vertitur.

Bubo. Hac difficiliter fecernitur ex aliis inguinis tumoribus, puta hernia, tumoribus scrophulosis, abscessibus lumborum,

intumescentiis glandularum ex ulceribus crurum vel pedum: inter haec discrimen aliquod affere nunc conabimur.

Bubo ex hernia in his discrepat, ex initio dura est tunc parum dolet et circumscripta est; alvus non adstringitur, ad anulum obliqui externi originem ejus petere non possumus, neque nausea stipata est quae herniam vulgo comitatur.

Tumores scrophulosi proclivitate corporis et historia morbi probe perpenfis raro cum bubone venerea confundi queant; aliquando autem tumores scrophulosi et ulcera in praedispositis bubonibus venereis superveniunt, et tunc de natura horum magis ambiguitur, neque prius in animum venit scro-

phulum subesse, quam mercurio du adhibito pertinaciter resistunt.

Si quando bubo venerea, in habitu corporis scrophulo prono, oriatur, indolis plerumque mollioris est et magnitudine multum superat bubonem in hanc proclivitatem carentibus, neque tantum dolet, nec colore plerumque ita vividus.

Ex abscessibus lumborum bubo facile fcerni queat, sede doloris, febre et debilitate quae illos comitantur, rite perpenfis: bubo enim glandulas, abscessus ille substantiam cellularem occupat. Bubo etsi easdem glandulas occupans aliam causam praeter virum venereum, ulcera nempe pedum vel crurum agnoscit; plerumque autem glandulae inguinum inferiores bubonibus hujusmodi infestantur, dum aliae superiores

plurimum petunt; ulcera quoque in artibus inferioribus detecta ad diagnofin haud parum conferunt. Dom. Swediaur* cafum luis venereae male tractatae in ulcera pedum prorumpentis narrat, quae materia abforpta ad glandulas inguinis iterum afcendebat; fed animum ad hiftoriam morbi advertendo hic decipi nequimus.

Ulcera venerea in faucibus aliquando cum iis quae ex inflammatione membranae mucosae progignuntur confundi poffunt; fpecie autem multum difcrepant; ulcera enim ex viro venereo fordida funt, et crufta lardacea obteguntur, dum quae ex inflammatione procedunt florida funt colore neque marginibus fcabris, illis ita propriis, comi-

* Vide Swediaur on the Venereal.

tantur: historia quoque praegressa si quando ambiguitur litem adimat et si dubium restaret ad hydrargyrum confugiendum est quo diagnosis brevi innotescat, et in hoc statu mercurius tantam corpori nequaquam inferri potest injuriam, quantam ex eo posthabito, si ulcus venereum evaderet, oriretur.

Ulcera narium et oris quae ex lue venerea proveniunt aliquando cum aliis harum partium affectionibus, praesertim cum malis quae ex cancre oriuntur, commisceantur: ex historia autem morbi, ex duris marginibus schirrosis, et colore fordido et subfusco quae haec prae se ferent, ex tali confusione cavere plerumque possumus; dolor quoque lancinans qui cancrum comitatur haud parum ad diagnosis stabilendum valeat.

Maculae quae ex lue venerea procedunt cum eruptionibus herpeticis facilius confundi possunt; si res autem examini subiecta fuerit, maculam veneream, herpeticam nunquam magnitudine adaequare apparebit; hac annulum quoque plerumque format, parte interna integra manente; locus quoque quem tenet naturam mali patefcatur; eruptio herpetica clunes, abdomen vel carpus plerumque adoritur dum maculae venereae pectus et humeros saepius invadunt; si quoque eruptio venerea fricetur squamulam vel materiem furfuraceam deponit.

Dolores quae ossa in provectiore lue venereae stadio infestant aliquando pro rheumatismo habentur, qua idonea curatio diutius saepe defertur, et aeger in majus discrimen adducitur; si autem recordamur rheuma-

tissimum juncturas primum plerumque ad-
doriri, et etsi per ossa aliquando serpit, do-
lor tamen nunquam, in iis partibus quas
lues venerea afficit, medium nempe tibiae,
ossis frontis quae musculis minus obteguntur,
incipit; tumor quoque vel nodus qui
hunc dolorem in ex lue venerea egrotantibus
cito comitatur, gradatim augefcans
omnem ambiguitatem tollit.

Ex constitutione igitur aegri, vitae ratione,
et historia morborum quibuscum confundi
periclitatur natura morbi facile plerumque
enititur, et in omnibus fere casibus
ubi aliquid dubii restat, praestat certe hy-
drargyrum tempestive adhibere, si non malo
presenti directe adversatur; et hoc modo an
sit lues venerea necne facilius innotescat et

periculum ex morbo inveterato, nullis adhibitis remediis, praecavetur.

CAUSAE.

Hic morbus multis modis communicari queat: imo. Concubitu cum quodam morbo infecto et hac via saepius concitatur. Foetus dum in utero jacet aliquando a parentibus lue afficitur. Infantes quoque ex his quae mammas iis praebent, morbo infici possunt: et hi iterum nutricibus luem veneream aliquando impertiunt. Lues maxime inveterata quae se unquam mihi obtulit, curationi Chirurgi M'Evoy qui Regio Nosocomio Militari apud Dublin praefectus erat, demandata est, et ex vestibus cujusdam qui morbo laboraverat aegro indutis oriebatur. Modo autem primum

memorato morbus plerumque excitatur; et quoniam passim fere conceditur materiem * quae gonorrhaeam ex ea quae luem veneream concitari queat, differe, hanc, ad luem concitandam solam valere, patebit.

Disceptatur an hic morbus, si non externe proruperit alio communicari queat; hoc autem accidere posse omnino probabile est; si enim in constitutione aegri penitus infederit, morbus se tandem manifestet, necesse est, et quid vetat quo minus fluida hujus sic vitiata, alium ejusdem vitii participem fierent.

* Dr. Hamilton Ipswichiensis multa super se et alios instituit experimenta hujus rei indagandae consilio, et comperit se nunquam invicem concitari.

Causae hujus morbi remotae non aequo, ac in aliis morbis, accidit jure; in eas quae proclivitatem dant, et quae morbum proclivibus concitant separari queant: sunt sane conditiones quaedam corporis quae morbum vel exasperant vel mitiorem reddunt, sed nullus existit tam valida corporis indole praeditus, quin causa excitante admota in morbum inciderit; constat autem, quaecunque fuerit causa, ex multis qui cum eadem foemina certamen veneris incierunt, unum solum vel alterum morbum accepisse, et perhibetur, non sine causa, eos qui jam morbo laboraverant reditui eo fieri obnoxiores.

CAUSA PROXIMA.

Hujusmodi, utut aliorum, causa proxima tenebris immerfa latet. Multi sane ratio-

nem modi quo virum venereum systema afficit, reddere conati sunt, sed parum adhuc profecerunt; quibusdam persuasum est fermentationem in fluidis excitari, hac autem opinio refelli vix meretur; ut enim fermentatio, sensu vulgo recepto, locum habuerit, quaedam sunt necessaria, quies nimirum, aeris aditus, &c. quae in sanguine obtinere nequaquam possunt. Haud forsitan omnino ineptum est credere virum venereum fluida corporis sibi assimilando ut in variola accidit, agere.

CURATIO.

Ex tempore quo primum usus mercurii innotuit omnibus aliis remediis merito anteponitur, neque ullum praesentius remedium existit; nunquam enim si tempestive

in auxilium vocatus fuerit, spem medici fallit. Quoniam autem mercurius omnes secretiones praesertim glandularum salivalium multum adauget, et ita adhibitus ut morbum penitus eradicet, vires aegri saepe admodum convellit, nec raro eas penitus subruit, medici haud parum laboris impenderunt ut remedium virtutibus ejus praeditum, vitiis destitutum, invenirent; hinc opium et alia medicamina suos habuerunt fautores; experientia autem ea fere omnia damnavit, et sola salutis spes in hydrargyro merito posuerunt medici, donec opinio nuper apud nonnullos medicos recepta invaluit, hydragyrum nempe, in hoc morbo, bonos praestare effectus, oxygenium, quod varia ejus praeparata continet, corpori largiundo; et si verba derisoris hujus theoriae

citare licet, "that, * strictly speaking, mercury never did any good at all, and it is maintained, that it is not the mercury itself, but something united with it, a kind of air, oxygen, which has done so much good, and which may be found in much greater quantity, and in much larger proportion in the purest air we breathe, in pure spring water, and in aquafortis". Mercurium autem, hunc morbum oxygenio quod continet, revera profligare dubium admodum apparebit, si nobiscum reputamus formam hujus remedii quae maximo fructu exhibi solet, parum oxygenii continere: unguentum mercuriale praeparatur trititando unguentum porcinum cum hydrargyro donec glo-

* Gregory's Memorial to the Managers of the Royal Infirmary of Edinburgh.

buli hujus penitus dispareant, quod certe unioni ejus cum oxygenio parum favet. Utcunque hoc erit, hac opinione innixi, multas substantias, quarum oxygenium pars est, medici quidem in hoc morbo experti sunt, inter quas acidum nitricum eminet, et etiam praeter spem fautorum hujus opinionis maxime tenacium, hoc bonos praestare effectus visum est. Dr. Beddoes in libro quem typis vulgavit, duodecim luis venereae narrat casus hoc remedio feliciter tractatos, currante Dre. Geach ad Nosocomium Regium apud Plymouth; et eos, ut maxime idoneos ad vires hujus remedii demonstrandas, selectos fuisse, credere fas est.

Horum septem, nullo mercurio usurpato, feliciter convaluerunt et alii etsi mercu-

rium priusquam in nosocomium admissi fuerant, adhibuerant, ad sanitatem usu acidi nitrici perducti sunt: fat autem temporis ante evulgationem horum non effluxit, ut plene constet an morbus, hoc remedio sopitus penitus profligatur, nunquam rediturus; eum autem iterum esse erupturum ex experientia Doctoris Rutherford probabile est. Etsi enim acido, morbus ad tempus consopitus, usu autem ejus deposito nova vi rediebat et exhibitione ejus resistebat, mercurio autem feliciter cedebat.* Quosdam autem casus narrat in quibus effectus optimi ex mercurio et acido nitrico conjunctis profluxerunt, ubi seorsim parum valebant, et aeger in tam lubrico versabatur statu, ut

* Vide Rutherford's Letter to Dr. Beddoes.

ne morbo succubuerat, timendum erat*.

Dr. Rutherford quoque memorat hoc remedium in casibus admodum levibus saepe spem fallere, dum in gravioribus optimas habuisse effectus, et hoc corroboratur Dre. Geach qui morbum in quinquagintis casibus curavit†. Ex omnibus his colligere fas est acidum nitricum lue veneream saepe profligasse; in casibus haud gravibus saepe parum auxilii attulisse, et in aliis, mercurio per se parum valente, cum acido nitrico conjuncto, curatio feliciter absoluta est. Hinc facile cogitur, etsi medici perperam huic remedio solo confisi sunt, id haud parum prodesse praesertim in debilibus, si cum mercurio conjunctum fuerit;

* Rutherford, loco citato.

† Beddoes' Cases.

et his casibus solis fas est hoc remedio utere.

Praeparata hydrargyri quae maxima vi in hoc morbo debellando praedita sunt, proxime veniunt perpendenda; in statu enim metallico, nisi quantum mechanice agat, pene iners est.

Hydrargyrus efficax redditus est, imo. Trituratione, qua globuli mercurii minutim dividi queant, ut unguentum hydrargyri.

2do. Calcinatione, ut hydrargyrus calcinatus.

3tio. Ope salium, ut hydrargyrus muri-

atus corrosivus et hydrargyrus muriatus mitis.

Ex omnibus hydargyri praeparationibus ea quae ex trituratione parantur maxima forsan vi in luem veneream pollent. Antequam progrediamur ad usum mercurii in lue venerea, effectus generales quos in corpus edit, breviter recensere licet. Inter medicamenta actuosissima locum merito obtinet; totum systema fortiter stimulat, secretiones varias, praesertim glandularum salivarium multum promovet, et liberaliter usurpatus, nauseam et febrim ciet: quaedam ex praeparatis ejus si dosi exigua administrantur nullum effectum sensibilem edunt, si autem dosis augeatur, vomitus, diarrhoea, &c. insequuntur. Effectus autem ejus in hoc morbo curando maxime notabiles sunt; salivae

secretio multum adaucta dolor et rubedo gingivarum, halitus faector, et sensus quasi cupri in ore; et si usus mercurii post hac signa supervenierunt, continuetur, omnes partes vicinae, ut lingua fauces &c. intumescunt.

Praeparata mercurii quae vulgo usurpantur, sunt unguentum hydrargyi, hydrargyrus muriatus corosivus et hydrargyrus muriatus mitis; et hoc inter optimos quae interne assumuntur merito habetur.

Nunc de usu horum in diversis luis venereae symptomatibus summovendis verba facere licet. Quando morbus recens est, et ulcus topicum solum apparet, ad causticum forsan rite, decurritur, quo ulcus penitus extirpatur; eodem tempore pillulam caeru-

leam ter in die ad quantitatem grani mercurii pro dosi assumi debet; vel granum hydrargyri muriati mitis sub forma pillulae haud male convenit. Hoc modo ulcus plerumque evanescit, et si os leviter affectum per decem vel duodecim dies teneamus, morbus plerumque omnino disparet.

Haud raro autem bubo ex viro venereo absorpto concitatur, et tunc ad frictionem cum unguento hydrargyri confugiendum est; perhibent sane quidam bubonem certius excitari, si ulcus causticis vel escharoticis eradicatum fuerit; si autem hoc revera ita esset, quid obstat quominus mercurius per quosdam dies exhibeatur et sic ne systema lues inficeret, cavetur; et hoc certe melius est, quam mercurium interne assumendum precipere donec ulcus dispareat, quod

fane hujus quantitatem multo majorem, quam aliter necessarium foret, postulat.

Bubo. Quando ex viro absorpto bubo oritur ad eam discutiendam eniti debemus; et hoc consilio mercurius ita administrandus est, ut quamprimum in contactum cum viro veniat, et hoc fit unguentum hydrargyri in femur lateris affecti assidue fricando, quo lymphatica id directe ad glandulam deferunt. Si unguentum hydrargri fortius fricetur cito plerumque femora excoriat; in hoc statu unguentum mitius conveniet, quod in utrisque femorum abundantius fricari queat. Si medicus tempestive arcessitur, remediis perite adhibitis morbus plerumque auscultat, et bubo discutitur; sin minus ad suppurationem properat; et cum maturatur, in eam incidere qua exitus

materiei paretur melius est; quod causticis, vel tumoris rupturae, anteponi debet; in illo enim vulnus quantum fieri debet, circumscribere difficile est et ruptura orificium scabrum, egressui puris inidoneum plerumque paratur. In hoc quoque statu mercurius secundum vehementiam morbi, usurpandus est, et nunquam ex animo exire debet, majorem quantitatem mercurii esse necessariam post ulcera, ex hoc topice admodum, convaluerunt, quam ubi ex eo interne assumpto disparuerunt.

Quando ulcera ex lue venerea in faucibus sese ostendunt, et speciem usitatum praebent, ad frictionem mercurii statim confugiendum est quae in plerisque casibus usu ejus interno plus valebit: si quando autem haec ulcera, remedio hoc modo prae-

scripto non facile cedunt, et partes vicinas depascere minitantur fumigatio cum cinna-
bari vel quodam alio ex praeparatis mercurii,
huic fini accomodato in auxilium advocanda
est. Si aditus ad ulcera facilis est tunc caust-
ica cum mercurio conjuncta, curationem ci-
tius absolvunt; quando autem tam alte sese
abdunt, ut hoc non fieri potest, enitendum
est ut ex sordibus depurgantur, quae diutius
malum haud parum exasperare solent. Ut
alia symptomata quae lue laborantes infes-
tare solent in salutem cedant, mercurius eti-
am adhibendus est, et in provectione morbi
gradu cum vires multum defecerunt, omni
cura incumbendum est, ut corpus roboretur
quo melius incommodis, quae ex mercurio
diu usurpato saepe progigni solent, occurre-
tur.

Guaiacum haud parva vi contra hunc morbum pollere creditum est, sed usus ejus quibusdam affectionibus solis merito nunc circumscribitur, ut maculis, &c. et tunc sarsaparilla feliciter conjungitur. In quibusdam hujusmodi casibus haud parum saepe prodest, praesertim si cum mercurio conjunctum fuerit. Sunt et alia remedia quae in hoc morbo usurpata fuere; quae autem jam perpenſa sunt medici solum nunc confidunt. Omnibus igitur quantum limites opusculi ſi-nerent enarratis, id utcunque imperfectum ad finem perducere fas est.



ERRATA.

- P. 19. *pro* tuberculae, — tubercula.
 — subfusci, — subfusco.
 — angulati, — angulatis.

